

qui Macchabæorum historiam legerat, de Jeremia narrat, virum illum post celatam Arcam, & velamina Tabernaculi Moyfis, Sacerdotibus, quibuscum ad locum venerat, de latebris illis interrogantibus, pandisse, Deum juratum sanxisse, nemini locum referendum indicandumque, donec ipse & Isaias Propheta in mundum regrederentur. Tunc autem restituentem Sanduario & sub alis Cherubin Arcam. Tandem quamquam recepta apud Judæos traditio non satis constans deprehendatur, quemadmodum ex dictis à nobis supra de quinque illis rebus, quæ in secundo Templo desiderabantur satis apparet; in eo tamen omnes convenisse intelligimus, nunquam post solutam captivitatem Arcam fœderis paruisse; ejusque loco constitutum in Sanduario credunt lapidem fundamenti, quem olim in medio montis sancti positum fuisse autumant.

S. Ambrosius, post narratam historiam Arcæ à Jeremia abdita, & Prophete eâ occasione oraculum, hæc addit (a), insinuans ejus oraculi fidem non nisi in adventu Messie impletum iri: *Congregationem populi tenemus, propitiationem Dei nostri agnosceimus, quam propitiator in sua operatus est passione. Arbitror quid nec ignem istum possimus ignorare, cum legerimus quia baptizat Dominus Jesus in Spiritu Sancto & igne.* Ita pariter differens Rupertus Abbas, frustra opperiri Judæos carnales dicit eventum vaticinii Jeremie, de solvenda certo aliquo tempore nescio qua captivitate, atque restituendo materiali Jerosolymæ Templo. Nos ejus veritatem impletam in eo experimur, quod Jesus Christus mortem obierit, ut filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in unum (\*); nos gloriam Servatoris à sepulchro ad vitam resurgentis spectavimus; ad id usque teste Jeremia Tabernaculum, Arca, & Altare, ignorantia nube tecta manserunt (b).

\* Jo. 11. 51-52.

b Rupert. de Viti. Verbi lib. 10. c. 21.

c Malac. 3. 1.

S. Joannes Apoc. 11. 19. vidisse se perhibet in Templo Dei, nempe in Cælo, Arcam Testamenti; vix autem eo Templo reserato, statim observantia ante oculos spectasse fulmina & grandines, audisse tonitrua, sensisse diros concussæ terre motus. Porro Arca illa in Templo Cæli constituta ipse creditur Jesus Christus, Mediator, & Fœderis utriusque novi veterisque Conciliator, omnia justitia in se uno & veritatis jura continens, tota Legis & Evangelii perfectio. Judæi in expectationem Arcæ materialis lapideas illas Tabulas olim Moyse traditas continentis intenti, hunc sensum donarunt oraculo Jeremie, de Arca tandiù latebris tegendâ, tandiù populam & in unum cogi, & in gratiam Domini redire contigerit. Judæi à captivitate reduces conceptâ spe de implenda statim vaticinii fide sibi blandiebantur; sed alter oraculi sensus. Neque Aggæus, neque Zacharias, & Malachias latentem Moyse Arcam à spelunca eduxerunt; instare jam adventum Angeli Testamenti, & dominatoris, quem ipsi vellent, prænuñciarunt (c). Constituto tempore Jesus Christus in mun-

dum veniens, Legem à latebris & caligine ignorantia in lucem solemque extraxit, occulta mysteriorum revelans, figuras implens, & pro Lege lapidea, lignea in Arca clausâ. Legem rogavit amoris in cordibus hominum descriptam; sed ejus sensum minime assecuti sunt Judæi. Semper illi literæ, & figuræ inhærentes, nunquam sibi induxerunt in animum, veram hanc esse Arcam, ex Jeremie vaticinio mox revelandam: re ac exemplari minis contenti signum tantum & figuram quærebant.

Si fides aliqua Recentiorum narrationibus haberetur, & Moyse sepulchrum patuisse jam constaret; nec de revelatione pariter Arcæ fœderis in spelunca montis Nebo occultatæ jam foret desperandum. Hornius testatur, anno 1655. capellas aliquas seorsum à reliquo grege aberrantes, ad locum hujus montis pascendo devenisse; unde dein reduces odorati nescio quid retulisse pastori visæ sunt: quare prodigium aliquod suspicatus pastor, *Mataxat* Patriarcham Maronitarum certiore statim de omnibus fecit; à quo duo Monachi montis Libani continuè missi. Illi sedulè locum observantes, sepulchrum quoddam invenerunt, cum epigraphæ: *Moyse servus Domini* (d). Ejus rei fama longè latèque vulgata Judæos accivit, qui ad se pertinere monumentum contendebant; Mahometani vicissim sui esse juris dicebant; nec Christiani segniore suum vindicabant, ac tandem potiti, amoto lapide vacuum invenerunt.

Qui verò totam hanc historiam solenter discussert, fabellam venditari suspicati sunt. Patriarcham Maronitarum anni 1655. non Mataxat, sed Joannem offendit Bartholoccus; cui, nempe Joanni, successor datus est 1. die Januarii an. 1657. Georgius Betbehel, qui in inventione ejus monumenti strenuè certavit. Profectò si Moyse corpus sepulchro demandatum fuisset tam prono & deductu facili, dubitationem omnem adjectâ epigraphæ subducente, quinam fieri potuisset, ut ad nostram usque ætatem lateret, Judæorum solertiam, & in Legislatorem suum venerationem trium millium annorum spatio fallens? Sed ad nostrum argumentum.

Ex his, quæ hucusque deduximus, illud consequitur, Arcam fœderis post captivitatem Babylonicam nunquam ultra paruisse; ut maximè silentium Esdræ, Nehemæ, Macchabæorum, & Josephi evincit. Accedit in eam rem Judæorum simul & Christianorum traditio. Nec Aræ fœderis religio in re præsentis quidem necessaria fuisset, quod Judæorum cultus determinaretur, sive quod de præstantis ab ipsis officiis instruerentur, Lex enim Domini & tota Religionis Judæicæ ratio in eo versatur, ut præcepta Dei noscerent, & executione complerent; quod facillè etiam sine Tabulis lapideis obtineri poterat. Cum verò ad superstitionem usque religiosus esset populus, vix commisisse nisi speciali Dei revelatione credimus; ut novam Arcam & novas lapideas Tabulas pro veteribus

d Horn. biff. Eccl. Vide Basnag. Hist. des Juifs, l. 3. c. 4. c. 17. art. 13.

a Edit. Froben. an. 1524. pag. 824.

ribus fabricarent. Paulatim desuescere populum à figuris volebat Deus, quod erecto à materialibus animo magis magisque ad spiritualia ferretur, legemque amoris optaret, novumque expoleret fœdus, quo non vetus abrogari, sed perfici complerique debuerat. Insinuare videtur Zorobabel in secundo Templo, post restitutum à captivitate populum, inter ornamenta Sacerdotis maximum & preciosissimum, nempe Urim & Thummim, desideratum fuisse; noluit enim ille Sacerdotes, qui se è

genere Aaronico asserentes, dicti sui fidei defectu Tabularum Genealogicarum adstruere non poterant; noluit, inquam, sanctificatas dapes degustare, donec surgeret Sacerdos doctus atque perfectus. (Hebræus, qui ferret Urim & Thummim) (e). Sacram dignitatem gerebat tunc Jesus seu Josue, quem proinde Urim & Thummim maximo Sacerdotis ornamento destitutum facile credimus; cujus si defectus in secundo Templo toleratus est, ut quid Arcæ fœderis absentia non toleraretur?

e x. Esd. 2. 63. Vide, si lubet, Spencer. de Urim & Thummim.

## IN TERTIUM LIBRUM MACCHABÆORUM

### PROLEGOMENON.

Qui tertii Libri Macchabæorum nomine censetur Liber, historiam continet mortis à Ptolemæo Philopatore in Judæos Ægyptios persecutionis. Post confectam adversus Antiochum Epiphaniem expeditionem, Ptolemæus gratiarum actionis in Templo Domini sacrificia oblaturus Jerosolymam se contulit. Post sacra, cum in Sanduarium aditum tentaret, & à Sacerdotibus pariter ac populo prohibitus vim esset illaturus, invisibili quâdam manu rejectus, tanto impetu in terram adactus est, ut ne moveri quidem posset. Redux igitur in Ægyptum, quem in Judæos conceperat furem in eosdem Judæos Ægyptios vertit. Quare in Hippodromo clausus, elephantis conterendos omnes tradidit; sed Deus eo prodigio, quod in eodem Libronarratur, populo suo opportunus succurrit.

Præpostere sanè Libro titulus tertii Macchabæorum inditus est; cum neque de Macchabæis quidquam, neque de rebus illorum ætate gestis, sive de persecutione Regum Syriæ, cujus occasione Macchabæorum nomen inelytum, aliquid contineat. Quare similitudinis tantum ratio in causa fuisse potuit, cur Macchabæorum nomen præfigeretur; quem enim Alexandrini sub Philopatore ostentaverunt, eodem Macchabæi & Judæi Palæstine sub Antiocho Epiphane ejusque successore claruerunt.

Idem, qualem hodie habemus, Liber innotuisse Josepho nunquam videtur; cum de persecutione Philopatoris in Judæos Ægyptios ne verbum quidem in ejus historia; & quæ in veteri Latinâ Versione secundi Libri contra Apionem (a) à Rufino adornatâ leguntur, adeò male digestam narrat fabellam, ut ex relatione potius aliorum, retulisse Josephus videatur, quam lectam de illa historiam describere. Narrat enim, Ptolemæum Phy-

scionem filium Ptolemæi Philometoris, cum post patris decessum Regnum invadere, amotâ à rerum administratione matre Cleopatrá, tentaret, ausis suis resistentem Oniam copiarum Ægypti à Philometore constitutum Imperatorem habuisse. Quare ille exercitu coacto, Judæos omnes Alexandrinos mares, fœminas, pueros nudos & catenis vinctos in Amphitheatro exposuit, ac elephantibus, quos vini haustu propterea efferaverat, conterendos tradidit. Sed frustra ille; immanes enim belluæ relictiis Judæis furore in amicos Regis converso plures occiderunt, cum interim Regi vir quidam horrendo aspectu obviam factus minitabundus indicxit, intactos relinqueret Judæos. Idem obnixis precibus rogabat Ithaca vel Irene Regis concubina, cui Rex facillè obsequutus, Judæos abire liberos permisit, furoris in illos sui pœnitens. Ea dies evolutâ anni periodo recurrens, festa à Judæis Alexandrinis constituta est. Hæc Josephus.

Hujus fabellæ prima pars, in qua de invaso à Physcone Regno, amotâ Cleopatrá, atque de vindictis Cleopatráe juri-bus ab Onia, verissima omnia refert. Sed in reliquis plura sunt, quæ reprehendas. 1. Physcon non parentem habuit Ptolemæum, sed fratrem. 2. Regnum non fratribus rapere, sed nepoti suo filio Philometoris & Cleopatráe tentavit. 3. Persecutio in Judæos Alexandrinos longè anterior est Physcone, sub Philopatore scilicet, ut ex tertio Macchabæorum constat. 4. Plures malè coherentes circumstantiæ adjectæ leguntur apud Josephum. Hæc omnia satis demonstrant vel Historico ignotum fuisse Librum, vel Rufinum malè Historicum illum verissem. Profectò in duobus illis lineis Græcis, quæ solæ de textu Josephi, quantum ad eam historiam, supersunt, disertè legitur: *Physcon post obitum fratris sui Philometoris à Cyrene in Cleopatram movit.* Si reliqua Græci textus, nobis suppetrent,

D. Boyvin Senior asseruit nobis, D. Peireschium possedisse Josephi historiam Græcam, cum eodem fragmento; & Carolus Labbeum J. C. scribere ad D. Bigotum, integrum in manu Scalligeri servatum. Legimus in Naudæana pag. 168. secundæ editionis, D. Schurtz Eleich Vittembergensem Josephum Scaligeri possidere. Quæ si vera sunt, rem faciet Eruditis omnibus gratissimam, si integrum Historicum illum publico permittat.

A Athanas. in Synops. Synsell. Philastr. alii plures. Vide Coteler. not. in Canon. Apost. pag. 117. 118. 338.

B Sixt. Senens. Biblioth. l. 1.

C Ita Selden. de success. in Pontif. ex Pofsevino.

rent, certior eâ de re iudicium ferre pronum esset (b). Veteres Græci catalogi referunt interduo quatuor Libros Macchabæorum, aliquando tres, sæpe duos. Canon 84. Apostolorum tanquam Librum sacrum agnoscit tertium Macchabæorum. Tanquam Scripturam Sacram laudat Theodoretus in Dan. 11. 7. In eodem censu ac tres alios Libros Macchabæorum recenset Author Synopsæ inter Opera S. Athanasii; quos omnes Libros in eorum numero collocat, quibus contradicitur; nempe unanimi Ecclesiæ consensu non probantur. Geminalas apud Nicephorum Archiepiscopum Constantinopolitanum in fine Chronographiæ, qui tamen non nisi tres Macchabæorum Libros agnoscit. Eusebius in Chron. ad A. 1800. notat tertium Macchabæorum, nihil addens, quo de auctoritate ipsius dubitemus; illud tantummodo observat, præposterè locum illi assignatum post geminos Libros Macchabæorum: historiam quidem reapse continet Macchabæis vetustiore. Fatemur quidem Eusebium ipsum in Chron. ad A. 1580. omnes æquè Libros Macchabæorum à Canone, quantum apparet, expunxisse; observat enim, Divinas Scripturas sub Nephemia finem habuisse; & quæ deinde succedunt, desumpsisse se ex Macchabæis, Josepho, & Africano. Philostorgius Hist. lib. 1. cap. 1. apud Photium, primum quidem Macchabæorum expressè recipit; secundum pariter admisisse videtur; tertium autem rejicit, portentosum eum vocans, nihilque simile primo narrante. Sed esto portentosus sit; an propterea Scripturæ

contrarius? an repugnantia veritati historiciæ, fidei, & morum continet? Tandem veteres quidam catalogi inter vetera Græca Monumenta D. Cotelerii (c) quatuor Libros Macchabæorum inter eos recensent, qui apud Septuaginta desunt. Ex his omnibus statuendum est, ancipitem aliquandiu hæsisse antiquitatem, num tertium Macchabæorum admitteret; quem deinde hodie uno consensu Græca & Latina Ecclesiæ ad apocrypha amandant; non quod fictam aliquam historiam contineat, sed quod à Divinarum Scripturarum autoritate excidat. Neque commemorandum mihi in præsentia, Librum hunc plerumque Latinos fugisse; à quibus nunquam, quantum scio, laudatur; & in Mss. omnibus æquè ac in veteribus Bibliis impressis desideratur. Paruit Liber primus in Frobenianis A. 1538. Scriptum à Grotio creditur Opus paulo post Ecclesiasticum (d) à Jesu filio Sirach digestum; inscriptum autem titulo tertii Macchabæorum, quod post duos priores apud Christianos innotuerit; quibus tamen minor fuerit huius, quam illorum autoritas. Elegans esse Opus, sed parum cognitum Josephus Scaliger (e) animadvertit. Stilus tumet, Tragediarum non abfimilis, cæterum sublimis est in sententiis, pius pariter & cultus. Superest Syriaca quædam Versio minus accurata. Porro Lucubrationem hanc Gallicis literis tradere, quod à nullo adhuc factum sit, optimum factu adjectis adnotationibus duximus.

C Vide Coteler. Not. in Canon. Apost. pag. 117. 118. & 338.

D Grot. in hunc Librum.

E Animadversus in Euseb. Chron. p. 127.

IN QUARTUM LIBRUM MACCHABÆORUM PROLEGOMENON.

Quamquam apud veteres de quarto hoc Macchabæorum Libro sermo occurrit [a], raro tamen illo usos maxime Latinos adeo constat, ut quid potissimum Operis eo nomine ab illis designaretur, nodie ferè Eruditos lateat, & in omnibus æquè Bibliis Latinis ne inter Apocrypha quidem appareat. Quin & ejus memoria jam inde à pluribus annis obsolevisse, atque inter deperditos deploratosque Libros habitus fuisse videtur. Cum Sixtus Senensis (b) in Ms. quodam Græcum incidisset, ad Bibliothecam Sanctis Pagnini apud Dominicanos Lugdunenses spectans, invenisse sibi quartum Macchabæorum ita persuasit, ut in societatem erroris vulgò Eruditos adduceret. Post aliquot inde annos incendio absumi Bibliothecam illam contigit (c), unaque

interdicit Codex facile unicus, cum neque Lugduni, neque alibi uspiam geminus alter unquam inventus sit. Plena ejus rei cognitio frustra alias sperabatur, nec de ejus amissione alia supererat solandi Eruditos ratio, nisi quoddam historia Sacerdotii Joannis Hircani (hanc enim exhibebat Ms. Opus) satis exactè à Josepho descripta Antiquit. lib. 13. haberetur. Cum verò post aliquot annos D. le Jay in Polyglottis Parisiensibus historiam Arabicam Macchabæorum post Regnum Seleuci filii Antiochi Magni usque ad tempora Jesu Christi continuatam, & ex Grego, uti quidem apparet, adornatam vulgaverit, nacti sibi in illa quartum Macchabæorum tanto temporis spatio desideratum Eruditi sibi visi sunt. In illud planè Arabicum Exemplar omnia quadrant, quæ Sixtus Senensis in Græco suo animadvertit; utriusque narratio ab illis ver-

bis oritur: Constituerat Simon, ipso vivente, ducem filium suum Joabanan, id est Joannem, dare &c. Quarè P. de la Haye idem Opus Latine redditum in suis Bibliis maximis dare sub titulo quarti Macchabæorum operæ pretium duxit. Porro Sacerdotium Hircani historiam continet Judæorum 29. vel 30. vel 31. annis continuatam; neque enim satis in ea re convenit (d). Hujus dissidii in causa est, quod alii Regni ipsius exordium ducunt à communicata illi à Simone parente Republicæ administratione, missoque per oras Palæstinæ Præfecto finibus Judææ defendendis; cum interim alii ab obitu ejusdem Simonis Regnum ipsius ducendum putent. Lucubrationem istam nos adnotationibus nonnullis illustratam Gallicis literis traditam damus; quanquam aliqui habemus persuasum, abesse illam plurimum à quarto Macchabæorum; quem admodum infra adductis argumentis fiet planius. Damas autem Gallicè non totum Arabicum Scriptum à D. Le Jay vulgatum, sed omisso 19. prioribus capitibus, & 32. posterioribus; illud tantummodo retulisse contenti, quod olim Sixtus Senensis pro quarto Macchabæorum usurpavit. Totum Gallicè vertit D. Baubrun, impressumque legitur in tertio volumine Bibliorum Gallicanorum Parisiis apud Desprez. Commodum autem sibi ducunt Lectores, si totam hanc historiam ejus ætatis feriem nanciscantur. Scriptum primò Hebraicè Opus intelligimus, cum in gustu, periodis, & phrasibus Hebraicè sapiat. Paria in suo Græco Exemplari Sixtus Senensis animadvertit; & indolem omnem Hebraicam Arabicè servavit. Textus Originalis Hebraicus idem erat facile ac Commentarii de Sacerdotio singulorum Pontificum scripti. Post captivitatem enim Babylonicam idem mos sub Sacerdotibus Summis servatus, qui olim sub Regibus, in publicas nempe Tabulas redigendi quæ majoris momenti sub illis acciderant; quemadmodum ex primo Macchabæorum intelligimus (e). Ex his fontibus historiam hausit Josephus, post Macchabæorum ætatem usque ad Regnum Herodis Magni continuatam. Author, de quo modò, seu potius Arabicus ejusdem historiciæ Interpres, vel si mavis Græcus, ex quo versionem suam Arabicè adornavit, seriùs, & non nisi post everfionem secundi Templi à Romanis florebat. Observat ille, Idumæos ab Hircano sub jugum ductos religionem Judaicam usque ad everfionem secundi Templi retinuisse (f). Samaritam plerumque Sebasten, & Sichem Neapolim vocat; quæ sanè nomina diu post Hircanum obtinuerunt. A Josepho in pluribus discrepat; ut cum Hircani nomine plerumque appellat, qui Josepho & primo Macchabæorum, Cendebaus nuncupatur (g); historiam latentis in sepulchro Davidis thesauri aliter ac Josephus enarrat (h). Regis titulum à Senatu Romano concessum Hircano tradit (i); numerum Senatorum Romanorum ad 320. determinat (k); tres tan-

E 1. Macc. 16. 24. Ecce hæc scripta sunt in Libro Sacerdotii ejus, (Joannis) ex quo factus est Princeps Sacerdotum post patrem suum.

F Vide 4. Macc. 2.

G 1. Macc. 15. 38. & 16. 1. 4. 8.

H 4. Macc. 2. 14. Macc. cap. 3.

K Ibidem.

tum liberos Hircano tribuit [l]. Josephus quinque. Milites Syros & Ægyptios plerumque nomine Macedonum appellat; sicut & quem nos montem Garizim, ille montem Jezabel. In exitu verò historia quædam notat, quibus scribere se diu post primum Operis Authorem prodit (m). Namque post narratas tres illas potissimas Judæorum sectas; quæ sub Hircano emerferunt, addit de Hæsdanum: Nec meminit Author Libri institutum ipsorum, sed quatenus hoc dicitur ex nomine; incumbere enim iis operibus, quæ ad præstantiores virtutes accedebant. Negocium facit, an Liber iste quartus Macchabæorum habendus sit. Obstat silentium Græcorum, & Latinorum, qui neglexisse Opus, atque in situ & oblivione reliquisse videntur; nec sanè ulla ejus rei memoria superesset, nisi tradentibus Arabibus haberemus. Adde, Veteres quartum Macchabæorum laudantes nunquam Opus ita designasse, ut ipsissimum esse cum hac historia insinuent. Tandem affirmandum nobis suscipimus, Veteres illos, qui Opus præ manibus habebant, nostrum hoc ne nosse quidem unquam; quare duo hæc Scripta inter se credimus distinguenda. Eusebius (n), & S. Hieronymus (o) post productam usque ad exitum Simonis historiam; è primo Macchabæorum derivatam; de filio ipsius Hircano narrandum suscipiunt, quarto hoc Libro ne indicato quidem. Idem Eusebius, Sulpicius Severus, Cedrenus, aliique plures (p) de Hircano sermonem habentes, ejus nominis rationem derivant ex Hircanis, quos populos ille prælio fudit in expeditione Antiochi Sidetis, cum nempe Regem illum in Persidem proficiscentem conjicaretur; quæ sanè repugnant testimonio Scriptoris hujus Libri, inditum viro nomen è devictio Hircano, quem nos Cendebaus appellamus, tradentis. Alius igitur quærendus est quartus Macchabæorum Liber, quem ipsissimum credimus cum Lucubratione Josephi, inscripta de Imperio rationis; cujus Operis argumentum est rationis imperium supra passiones assertum, quo pietas juvatur, nihilque est tam difficile, cujus felicem exitum ratio non inveniat. Pleraque Græcorum Bibliorum Mss. hunc Librum tribus aliis Macchabæorum continuant [q]. In nonnullis is legitur præfixus titulus: Josephi de Imperio rationis, sive quartus Macchabæorum; in aliis verò tantum: Quartus Macchabæorum. In Bibliis Græcis Basilienfisbus Hervagianis 1545. & Francfortensibus Vechelianis A. 1597. post tres priores Macchabæorum Libros iste subiungitur, adjecto titulo: Liber Josephi in Macchabæorum. Vetus Ms. laudat D. Cotelerius (r), in quo Macchabæorum quartus inscribitur: De imperio rationis. In Bibliothecâ Regiâ (s), & Coislinianâ (t) quædam extant ejusdem Josephi Operis Mss. quarti Macchabæorum præfixa titulo. Neque alium quartum Macchabæorum novit Philostratus (u), qui Opus illud Josepho Historico vindicat; quemadmodum etiam Eu-

14. Macc. ult.

m 4. Macc. 6.

n Euseb. Demonstr. lib. 3. cap. 2. o Hieron. in Dan. 9.

p Vide Euseb. in Chronic. Sulpit. Sever. lib. 2. hist. Cedren. alios Antiquos & Recentiores apud Jul. Scalig. not. in Euseb. Chronic.

q Vide not. Combefis in Joseph. lib. de Imperio rationis.

r Coteler. not. in Canon. Apost. p. 339. s Manuscript. Biblioth. Reg. n. 1875. t Coislin. Mss. duo. u Philost. hist. Eccles. initio.